DE CHLOROSI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE...

Carlo Narcisi, Giuseppe Moretti



DE

CHLOROSI

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. JOSEPHO MORETTI

Botanices Prof. Ord.

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Martii anno MDCCCXLIII.

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

NARCISI CAROLUS

EX CALCINATE IN PROV. BERGOMENSI.



TICINI REGII
Ex Typis Fusi et Socii.

PARENTI AMANTISSIMO

IN HAC FAUSTISSIMA DIE

QUA LAUREAM CORONAM

ADIPISCOR

HOC PRIMUM STUDIORUM SPECIMEN PUBLICUM

TREPIDO SED LUBENTISSIMO ANIMO

VOVEO.

9.





DE CHLOROSI.

Morbi Idea atque Synonima.

Nomine Chlorosis, illa designatur adfectio quae decoloratione pallida aut flavo-viridescente cutis, debilitate habituali, functionum digerentum perturbatione ac languore, respiratione difficili et molesta nec non frequentissime defectu aut imminutione menstruorum stipatur. Etymon porro chlorosis, a graeco nomine χλωρος seu flavo-viridis, depromitur, eo quod aegrotantes hocce morbo correpti colorem *sui generis* pallidum, vel flavo-viridescentem illico ostendunt. Inficiandum attamen non est hanc peculiarem cutis decolorationem simplex phoenomenon exhibere, et non modo in chlorosi verum in amenorrhoea quoque distingui. Veteres frequentissime chlorosim cum amenorrhoea confundebant; sed praxi evictum

est hasce adfectiones singillatim decurrere posse, licet frequenter insimul eodem tempore conveniant. Et reapse dantur aliquando foeminae chloroticae cum menstruatione parca vel etiam regulari, et vigent nonnunquam foeminae amenorrhoicae quin chlorosi aggrediantur. Caeterum aliquibus casibus mares ipsi chlorosi mulctari possunt, quemadmodum annis praeterlapsis in nostra Clinica Ticinensi sub auspiciis clarissimi Profess. Corneliani observare nobis datum fuit. (Annis scholasticis 1840-41-42).

Quoad varias hujusce morbi denominationes, sufficiat scire: *morbum pallidum*, *foedum virginum colorem*, *morbum virgineum*, *icterum album*, *cachexiam virginum*, *febrim mulierum amatoriam*, et sic porro ipsum nuncupatum fuisse.

BREVIS MORBI HISTORIA.

Jam Medicinae Parens Hippocrates chlorosim diligentissime descripsit; sed in posterum medici Graeci et Arabes obscuras notiones de ipsa ediderunt, et color flavescens cutis, defectus menstruorum, atque pica utpote praecipua chlorosis symptomata salutabantur, quin universi corporis habitus, indoles sanguinis, et turbae digestionis atque respirationis ad trutinam vocarentur.

Pervolvente saeculo decimo sexto *Petrus Forestus* et *Joannes Langius* quidquam accuratius, quam medici praegressi de *morbo virgineo* seu *chlorosi* tractarunt. Proximo saeculo *Felix Platerus*, *Mercado*, *Sennertus*, *Ballonius*, *Riverius* atque *Etmuller* fuse de chlorosi scripsere, ast in eorundem operibus praestant notiones circa humorum acrimonias, et caeterum effectus qui a chlorosi in variis systematibus procedunt, veluti tot causae hujusce affectionis criminantur.

Elapso saeculo medici quamplures chlorosim ad examen revocarunt, ast ejus ultima indoles adhuc densa obvolvebatur caligine, dum *Hoffmann* conditionem pathologicam morbi in organis digestoriis; *Boerhaave* in systemate nerveo; *Scheffel* in defectu menstruorum ex obliteratione vasorum uteri; *Fizerald* modo in dissolutione, modo in condensatione humo-

rum vitiata; *Astruc* in alterata proportione globulorum sanguinis, et vitiata digestione agnoscunt.

Quoque nostris temporibus *Bollard*, *Cagnion*, *Centomo*, *Speranza* et *Cornelioni* hanc adfectionem illustrarunt, et quamvis omni intuitu medicorum opiniones inter se non conveniant, attamen indubitatum est per observationes neothericorum et potissimum *Speranza* atque *Cornelions*, ultimam hujusce morbi essentiam nova luce inclaruisse.

SYMPTOMATA.

Perdifficile est prodroma seu prima chlorosis phoenomena exacte delineare, eo quod morbus hujuscemodi, pariter ac omnes adfectiones chronicae, clanculum incipit, hinc et inde per varias organismi partes uti dicam serpit, antea quam propria facie se prodeat. Generatim puellae temperamenti lymphatici nervosi atque melancholici, adventante pubertate peculiari irritabilitate aggrediuntur, cum universali dysphoria, aversatione motus, debilitate musculorum, et virium digerentium languore atque perturbatione. Aegrotantes reapse qui chlorosi minitantur vel jam aggrediuntur, dyspepsia habituali, nausea, anorexia, pica, malacia, lingua albo-muco foedata, vomitu, tumiditate ventriculi, dolore fere continuo ad scorbiculum cordis, et ructibus acidis laborant. Quum porro inter reliqua phoenomena gastrica, adpetitus depravatus sub forma picae et malaciae in chloroticis

emineat, hinc haud immerito *Sauvages* praesentem adfectionem inter vesanias per errorem imaginationis atque adpetitus enumerat (1). Symptomatibus modo expositis alteratam ventriculi functionem indicantibus paullo serius, borborygmi, tormina, flatus, abdomen tympaniticum, dolor hypochondriorum, stipsis, urinae nunc pallidae aquosae, nunc densae, foetidae aut sedimentosae adduntur.

Morbo adolescente cutis pallido colore distinguitur, venae superficiales cutaneae ad visum disparent; tumiditas peculiaris faciem et praeprimis palpebras foedat dum eodem tempore integumenta infra orbitas halone livido deturpantur. Tumiditas faciei potissimum mane praestat, sed digitorum pressione minime foveolas retinet. Generatim dum facies pallet, itidem gingivae, et labia pristinum colorem amittunt. Temporis lapsu adfectio ingravescit et color antea pallidus in terreum, plumbeum et ultimo pallido-viridescentem commutatur, atque ad universum corporis ambitum protenditur. Plerumque decoloratio pallido-viridescens aut flavo-viridescens cutis est universalis et aequabilis, interdum, licet rarius, maculae obscurae et pallido-virides hinc inde in cute erumpunt, qua de re praesens morbus a *Sennerto* nomine *foedi coloris* distinguebatur. *Alibert* quoque testatur dari foeminas chloroticas, quibus color niveus erat.

(1) *Sauvages. Nosol. Meth.* T. II. 1769

Proclivitas aegrotantium in quietem, et aversatio in quodlibet exercitium illico sub morbi exordiis manifestatur, sed temporis lapsu frequentissime in pervicacem torporem convertitur.

Quum vero inertiae totius systematis muscularis citissime respondeat torpor systematis sanguiferi, nil mirum si in chlorosi rato tempore congestiones venosae et hinc dolores in variis corporis partibus exoriantur. Ab eadem causa, dum munus uteri perturbatur, facili negotio explicare queimus, hepar et lien distendi per adauctum ad haec viscera sanguinis adfluxum; pariterque pondus capitis, vertigines, et somnolentiam continuam e retardata circulatione in abdomine et impedito redditu sanguinis evolvi.

Quamvis de more uterus propriis fungendis muneribus impar evadat, nihilosecius dantur puellae quae ad temporis intervalla doloribus lumborum, inguinum, atque crurum queruntur, nam organa sexualia interna et externa congestionibus facile mulctantur.

Statim ac organa respiratoria in compassionem trahantur, quoque respirationis munus eminenter afficitur. Anxietas inde, dyspnoea, respiratio eitata et brevis potissimum sub animi motibus, et adscensu schalarum puellas defatigant.

Cor et vasa majora jam morbi initio a normali tramite quoad proprias functiones recedunt. Pondus et anxietas ad praecordiorum regionem, cardiopalmus recurrens et pervicax, lipothymiae et ipsa syncops

vix non semper chlorosim comitari consuescunt; et eadem ratione qua morbus progreditur et ingravescit, ipsa symptomata quae munus cordis perturbatum patefaciunt, et frequentius se prodeunt atque majori intensitate manifestantur. Quum motibus alteratis cordis laesiones systematis arteriosi respondeant, nil mirum si pulsus parvi, duriusculi, frequentes, celeres et diversimode modificati distinguantur, prouti aegrotantes motibus corporis vel animi variomodo exagitentur. Eadem ratione interdum molestissimae arteriarum capitis, colli et abdominis pulsationes superveniunt, quibus dolores lancinantes et acerrimi ad hasce partes nonnunquam complicantur. Non desunt casus in quibus universa entis super facies molesta arteriarum capillarium pulsatione afficitur (1). Alias abdomen ex motibus vehementioribus venae cavae adscendentis peculiari ratione pulsat et dolet (2). In foeminis delicatulis atque sensibilioribus non raro motus arteriarum capitis adeo accelerantur et vi adaugentur, ut morbus pro phlogosi cephalica habeatur, dum econtra simplex irritatio sympathica in cerebro aderat.

Auscultatio sive immediata sive meditata per sthetoscopium ad regionem cordis et arteriarum carotidum nos docet, sonos normales harum partium sub pulsationibus saepissime modificari. Generatim cordis

(1) *Albert. Nosologia Nat* T. III.
(2) *Hoffmann. De Genuino Chlorosis indicio.*

pulsationes sunt clariores et per majus protrahuntur spatium ac in statu normali et sonus flabelli, aut frictus (bruit de frottement) sub cordis pulsationibus distingui possunt. Quandoque in regione supraclaviculari et ad latera colli secus carotides, murmur persentitur forte, molestum, *sui generis*, ad instar vibrationis musicalis, quod a Gallis appellatur *bruit de diable*; et hoc murmur sub animi pathematibus, atque corporis exercitio potissimum adaugeri solet.

Sub iisdem motibus animi et corporis dyspnoea et universalis virium delassatio ingruit. Aegrotantes fiunt tristes, morosi, et omni studio solitudinem petunt. Si forte pervolvente chlorosi menstruatio adhuc viget, haec ad longiora temporis intervalla recurrit, qualibet vice per breve tempus protrahitur, et modica tantum copia fluere solet.

Sanguis e vena eductus vix non semper serum turbidum, lactiginosum, et placentam mollem cum minima copia cruoris largitur. Analyses chemicae quae in sanguine chloroticarum institutae fuerunt, nos docent, ferrum exigua tantum parte inveniri, unde sanguis normali statu pallidior conspicitur, et cutis pallido, sub-flavo, aut pallido-virilescente colore notatur. Quoque fibrina in sanguine chloroticarum parca copia reperitur, unde haud perperam in chlorosi medici veram *hydroemiam* agnoscunt. Haec sunt phoenomena quae chlorosim distinguere solent, et quae pedetentim sub morbi progressu

numero atque intensitate adaugentur. Febris initio morbi aut deest aut levissima se prodit, licet a veteribus utpote essentialis in hoc morbo dijudicaretur. In chlorosi attamen provecta et gravi, febris continuo urget, et ad instar febris hecticae aegrotantium ultimo vires exhaurit et ea ad extremum fatum impellit. Haece morbi periodo non raro phlogoses partiales erysipelaceae in variis organis et systematibus incenduntur, cum manifesto aegrotantium vitae discrimine, eo quod maximam in gangraenam proclivitatem ostendunt. In ultimo etiam chloroseos stadio ex sublato aequipondio inter secretionem et absorptionem laticis serosi, persaepe in universo corporis ambitu, cavo pleurae, et pericardii, in abdomine, et nonnunquam licet rarius in capite collectiones serosae efformantur, quae testantibus *Hoffmann*, *Frank*, aliisque practicis magni nominis vix non semper in lethum abeunt, dum aegri apoplexia, syncope, convulsionibus aut morte suffocativa intereunt.

Inter tot phoenomena morbosa quae puellas defatigant, illa certa negligenda haud sunt, quae alteratam psychicam conditionem ostendunt. In foeminis delicatulis ac sensibilioribus, erethismus nervosus, physionomia dulcis ac peculiari ratione melancholica, insignis in amorem proclivitas et alia hujuscemodi facile praestant. Aegrae avidissime solitudinem, obscuritatem ac silentium diligunt, alias maximo sensuum internorum externorumque torpore aggrediuntur. Ast

temperamentum, habitus corporis, animi cultura diversa et similia procerte in genesi horum symptomatum maximam simbolam exerunt.

Quoties chlorosis secondaria evadat atque ab amenorrhoea directe procedat, qualibet epocha et conditione foeminarum exoriri potest, etsi frequentius tempore juventutis quam periodo virilitatis in scenam veniat. Haece chlorosis specie, non solum foeminae temperamenti lymphatici, pituitosi, et debiles, sed etiam, quemadmodum ipse medicinae parens Hippocrates observavit, robustiores et temperamenti sanguinei muletantur. In hisce casibus praeter menstruorum defectum, alia symptomata morbosa uteri, quemadmodum dolores, ardor, tensiones ad lumbos, epigastrium, inguines et crura foeminas invadunt. Haec phaenomena quolibet mense, adventante consueta menstruationis epocha adaugentur, eoque magis si causae complicantur, quibus congestio activa vel ipsa uteri phlogosis incendi possit. Praegressis symptomatibus localibus ad uterum, color antea roseus genarum in pallidum, flavum, aut flavo-virescentem convertitur; aegrae fiunt tristes, morosae; pristinum adpetitum amittunt; dyspepsia, macie, et febri in posterum defatigantur, et demum utpote in chlorosi idiopathica hydropibus variis marasmo aut tabe consumuntur. *Boyle* testatur foeminam chloroticam vidisse, in qua illaesis motibus voluntariis, sensibilitas tactus per universum corporis ambitum desiderabatur. Non raro insultus tetanici, et epileptici chlorosim idio-

pathicam et sympathicam comitantur; et quolibet casu haec adfectio gravis neglecta in gravissimas chronicas adfectiones, veluti supra vidimus abire consuescit.

NECROSCOPIA.

Parum hucusque ab anatome pathologica; quoad organicas laesiones in chlorosi existentes, comperimus, nam chlorosis simplex idiopathica nonnisi rarissime per se mortem afferre solet. Nihilominus in chlorosi gravi, dum systemata diversa in compassionem trahuntur, haud raro aberrationes in visceribus atque sanguine complicantur. Uterus frequentissime volumine imminuitur. (1). *Lieutaud* in duabus foeminis cor eminenter expansum atque sanguino nigro, polyposo et concreto repletum observavit (2). Frequentius enphraxis viscerum abdominalium, anasarca, collectiones serosae in abdomine, pericardio, pleura, aut cranio reperiuntur. Inficiandum attamen non est hasce alterationes pathologicas potius quam causas aut veram essentiam chlorosis, utpote exitus complicationum hujusce morbi habendas esse.

Quando chlorosis symptomatica, foeminas aggrediatur robustas, sanguinei temperamenti, et phlogosi acuta vel chronica uteri sustineatur, vix non semper

(1) *Morganius. Epistola* XLVII. *De sedibus et causis morborum.*

(2) *Lieutaud* Anat. path. Lib. II.

post mortem indicia praegressae metritidis, nempe injectio tunicae mucosae uteri, incrementum voluminis hujusce visceris, adhaesiones uteri cum cystide aut aliis partibus vicinioribus et sic porro deteguntur.

Sanguis generatim fibrina et oxydo ferri depauperatur dum econtra sero ut plurimum abundat, quemadmodum pericula super hunc humorem pervolvente morbo et post mortem instituta a *Lecanu* et *Foedisch* satis evincunt.

AETIOLOGIA.

Quemadmodum in morbis acutis et chronicis omnibus, itidem in chlorosi momenta causalia in disponentia et occasionalia distribuuntur. Temperamentum lymphaticum, et habitus corporis laxus, debilis, atque delicatulus dum energiam solidorum infringunt, et tenuitatem in fluidis intendunt, eminenter puellas huic morbo disponunt. Quoque imperfecta evolutio et torpor organorum sexualium pubertatis epocha quemadmodum causae disponentes chloroseos habentur.

Inter causas, quae genesi chloroseos favent, illa omnia numeranda sunt momenta quae textum solidorum debiliorem faciunt, et crasim humorum perturbare queunt. Vita deses proinde, sedentaria; alimenta parca, dyspepta et parum nutrientia; aer frigidus et humidus; animi pathemata deprimenta et alia hujusce generis veluti tot causae chloroseos va-

lidissimae eriminantur. Haece ratione *Riverius*, *Etmuller* et *Ballonius* juvenes desetes, et inertes, in posterum frequenter chloroticas fieri observarunt. *Hoffmann* testatur, potum arabicum continuo adhibitum et vitam torpidam saepissime chlorosim progenerare. Haece ratione nil mirandum erit chlorosim frequentissimam esse in claustris et foeminarum collegiis. Probabiliter etiam, quemadmodum celeberr. *Borda* arbitratus est, a defectu motuum, et ab aere nimis humido propter prata marcida et oryzam in agro Ticinensi diffuse culta, frequentia chlorosis in eadem Provincia repetenda esset (1). Praeter causas modo expositas habitationes humidae, parum ventilatae, humiditas atmosphaerica ex pluvia copiosa et diu protracta, maximam in genesim hujusce morbi symbolam exerunt.

Inter animi pathemata moestitia, timor, et prae primis amor frustratus et infelix, quoties puellas delicatulas, debiles et temperamenti lymphatici aggrediantur, validissima momenta causalia chlorosis suppeditant.

Hae causae non modo in puellis verum in foeminis adultis, marito frigido nuptis, aut viduis, noxium evolvere possunt influxum, qua de re etiam superata pubertate et juventute haud semper foeminae chlorosi expertes reperiuntur.

(1) *Borda*, *Prin. lin. Topographiae Medicae agri Ticinensis.*

NOSOGENIA.

Mirandum sane erit omnes recordari opiniones quae a medicis omnium temporum circa causam proximam chlorosis prolatae fuerunt. Alterata elementorum proportio; putrida cacochymia; connubium bilis cum excremento aquoso; humores alterati ventriculi a veteribus veluti ultimam chlorosis causam proximam dijudicabantur. *Forestus* pituitam exuberantem et venarum obturationem; *Langius* fermentationem ac vitium sanguinis; *Mercado* emphraxes viscerum abdominis; *Platerus*, *Sennertus* et *Riverius* sanguinem crassum viscidum; *Etmuller* lympham et succos vitiatos; *Ballonius* pituitam aquosam; *Hoffmannus* debilitatem organorum digerentium cum uteri spasmo; *Boërhaave* defectum partis colorantis in vasculis piae meningis; *Astruc* imminutam copiam et motum retardatum globulorum sanguinis; *Cullen* universalem debilitatem; *Piquier* lentam metritidem, elapsis temporibus veluti ultimam essentiam chlorosis tenebant.

Conditio frequentissima Pathologica Chlorosis ad mentem Professoris Speranza (1) in imperfecta et perturbata uteri evolutione inquirenda venit, nam praxi omnium temporum confirmatum est, puellas sub pu-

(1) *Della Clorosi. Commentario del Professore Carlo Speranza.*

bertatis tempore dum uterus propriis muneribus fungere nequit, maximam in hanc adfectionem proclivitatem ostendere. In adultis atque robustis non raro chlorosis a lenta metritide sustinetur. Ast progrediente morbo extra dubitationis aleam positum est humores pessumdari, et prae primis haematopoesim pati, dum sanguis serosus cum minima copia fibrinae et cruoris conspicitur. Relate ad turbas organorum digerentium, enphraxes hepatis, lenis, frequentiam circulationis et alia ejusdem generis, possumus admittere, quod haec phoenomena secundaria sint habenda, dum facili negotio per impeditum uteri officium, et laesam sanguinis crasim propriam explicationem admittunt.

DIAGNOSIS.

Judicium diagnosticum praesentis adfectionis haud difficulter ex notionibus causarum disponentium et occasionalium, et a syndrome symptomatum quae supra exposuimus erui potest. Interdum attamen chlorosis cum anemia, ictero, anasarcate et leucophlegmatia confundi queit. Ast praeter quam quod hae adfectiones nulli aetati, nullique sexui pareant, et causis longe diversis ac chlorosis pendeant, omnime edpetitus depravatione, et alterata sanguinis crasi quemadmodum adfectio chlorotica stipantur. Inflammationes chronicae, degenerationes tuberculosae et cancerosae persaepe cutis pallore complicantur,

sed in hisce morbis color non est adeo pallido-flavus aut pallido-viridescens quemadmodum in chlorosi; desuper genae et labia saltem ad temporis intervalla colore lacte purpureo tinguntur, cum in febri amatoria continuo pallent. Ultimo tractamen therapeuticum diagnosim omnino confirmare valeat; nam in chlorosi medicamina suppeditantur eum aegrorum levamine multo diversa, quam in aliis morbis quibus haec adfectio aliquam, quod formam, affinitatem tenet.

PROGNOSIS.

Judicium prognosticum Chloroseos ut plurimum modificatur, prouti morbus recens sit vel neglectus, vel prouti complicationibus nec ne decurrere queat. Chlorosis simplex et recens generatim nullo vitae discrimine stipatur, et opportuno tractamine facile cedit, eoque facilius devincitur quo magis foeminae sunt robustae, et menstrua promptius ad normam restituantur. In chlorosi chronica, neglecta et aliis adfectionibus viscerum nobiliorum complicata, divinationem solummodo reservatam, quin dicam infaustam admittimus, nam maxima tantum difficultate aegrotantes ad pristinam restituuntur salutem, et facillime hydropibus variis, tabe aut marasmo intereunt. Praetereundem quoque non est, chlorosim etiam devictam facili negotio recidivam pati; et tunc morbum gravioribus de more symptomatibus incedere.

Communis viget opinio, foeminas chloroticas aut sterilitate laborare, aut sobolem debilem et cachecticam solummodo parere, sed hoc haud semper praxi confirmari solet.

CURA.

Contra chlorosim oportet prae primis indolem sanguinis alteratam ad normam reducere, nutritionem sustinere, et in casibus quampluribus organa sexualia imperfecte evoluta ac debilia roborantibus erigere. Ast omnia medicamina incassum usurpari solent, nisi antea aegrotantes ab influxu causarum nocentium auferantur. Nonnunquam fugatis causis efficentibus, chlorosis ipsa sponte sanatur, quemadmodum in aliis morbis acutis et chronicis ablatis causis, unicis naturae viribus aegri ad pristinam restituuntur sanitatem.

Alimenta mixta ex animalibus et vegetabilibus potius nutrientia et facilis digestionis potissimum aegrotantibus conveniunt. Aliquando attamen in alimenta magis opportuna chloroticae manifestam aversationem ostendunt, dum cibos dyspeptos avidissime cupiunt. In hisce casibus melius erit aegrarum desideriis accommodari, ne per alimentorum defectum et subsequum animi collapsum, vires digerentes jam fractae ulterius collabantur. Quod diximus de alimentis itidem de potibus repetere possumus, sed generatim aqua pura, infusiones leniter theatae et aromaticae, et vi-

mum amarum modica tamen in copia optime conducunt. Ambulationes, iter variatum, aer campestris, aequitatio, venatus, conventus sodalium, et corporis exercitia mechanica utpote chorea, talea et similia, totidem adminicula hygienica utilima in chlorosi habentur. Aegrae de more, primis diebus citissime defatigantur atque labores etiam leves fastidiunt, sed in posterom manifestissimo levamine et societatem et exercitia corporis, iter et choream praecipue, avidissime diliguut. Habitationes siccae optime ventilatae, speciatim versus meridiem, nec non aer siccus electrico positivo dives chloroticis arrident. In divitibus itinera suadentur, scopo nimirum ut animus hilaris fiat, et etiam ut aegrotantes in locis natalibus aquis marinis et balneis martialibus fruantur. Quamplures medici, in chlorosi ex amore infelici et denegato matrimonium ad sidera usque extollunt, sed praeter quam quod, hocce adminiculo haud semper uti licet, aliquibus casibus dum aerumnae domesticae, jurgia aut alia hujuscemodi complicantur nec non dum morbus gravis et chronicus evadit, matrimonium ipsum potius chlorosim exasperare valet. Graviditas porro, partus et abortus cui chloroticae eminenter disponuntur, vitam earundem maximo discrimine obvolvere possunt. Nihilominus in puellis mediocriter robustis amenorrhoicis, et in amorem pronis, procul dubio connubium, jure merito praedicatur.

Medicamina quae magis in chlorosi conveniunt, ex penu tonicorum et prae primis martialium depro-

mentur. A nonnullis ferrum et ejus praeparata quemadmodum specifica, uti dicam, in chlorosi habentur. Inter reliqua martis praeparata aethiops martialis seu oxydum ferri nigrum; carbonas, sulfas ferri, et nunc temporis lactas atque citras ferri ad scrupulum semis usque ad drachmam semis vel integram in die forma pulvis, pilularum vel tabularum praediliguntur. Propter martialia non solum tonicitas solidorum promovetur, verum sanguis crasi corrigitur, et menstrua si desunt aut parca quantitate fluant frequenter ad normam restituantur.

Quoties chlorosis ab amenorrhoea propriam dignoscat originem tunc praeter martialia reliqua emmenagoga collaudantur. In robustis tunc hirudines ad vasa sedalia aut pudenda externa, devictis porro symptomatibus localis congestionis aut phlogoseos, pediluvia aut semicupia sinapizata, aloes, rhabarbarina, crocus sativus, valeriana, asafoetida et martialia nuper exposita usurpanda sunt.

Venaesectiones generales ab aliquibus auctoribus commendatae, tantum in plethoricis, juvenibus eum symptomatibus universalis hypersthenіae conveniunt, et etiam hisce casibus, cauta manu incedendum est, ne caeterum improvisus virium collapsus, eum manifesta morbi exacerbatione superveniat. Haud possumus attamen denegare, quod morbi initio aliqua generalis depletio sanguinis persaepe arridere queat, nam hacce ratione per analysim chemicam sanguinis morbi diagnosis ulterius confirmatur.

Complicationes gastricae, si quae adsunt, tum morbi inito, tum progressu temporis, eccoproticis sunt auferendae. Amara, chinacea, et vinum generosum amissam organorum digerentium energiam frequenter restituunt.

THESES DEFENDENDAE.

1. Pellagra utpote modificatio Leprae Rubrae habeuda.

2. Metastases interdum cum simplici morborum diffusione confundi.

3. Omnes morbos organico-vitales esse censemus.

4. In phlogosibus rheumaticis sulfatem chininae arridere.

5. Eadem pharmaca mutata dosi, actionem admodum diversam exerere.

6. Joduretum potasii in syphilide chronica utillimum pharmacon.

